

I. N. D. O. M.

Dissertatio Academica,

*Caussas Quasdam Probabiles
Fructus, ex Concionibus Sa-
cris minus Percepti,*

Proponens,

Quam

Conf. Ampl. Fac. Phil. Reg. Acad. Aboënsis,

Præside

Mag. Johanne Bilmark,

Histor. & Phil. Pract. Professore Reg. Ord.

Publice censuræ modeste submittit

Alexander Sander,

Borea-Fenno.

In Auditorio Majori Die XXIX Aprilis,

An. MDCCCLXXXIX.

H. A. M. C.

Aboë Typis Frenckellianis.

PRÆFATIO.

Quo excelsior est Dominus, qui suum emittit caduceatorem, & quo majoris momenti mandata huic committit expedienda, eo majorem etiam a mandatario requiri attentionem & sollicitiam, si muneric sibi injuncti partibus cum successu velit defungi, in dubium vocaturum speramus neminem. Unde sponte sua sequitur, gravissimam Verbi Divini Praeconi datam esse provinciam, nomine ac jussu Summi Numinis, populum, suæ euræ ac fidei communissimum, ad veram Dei & totius salutis economiæ notitiam, nec non ad jugem virtutum culturam per suas deducturo orationes. Per *Conciones* itaque *Sacras* intelligimus orationes solennes, quæ in conventibus habentur religiosis, ut auditores exinde erudiantur, & ad sedulum pietatis aliarumque virtutum studium excitentur. Maximam harum concionum necessitatem nemo non agnoscit, secum pensans, caussam infelicitatis, cum qua colluctantur mortales, ex ignorantia, errore atque viciis præcipue esse repetendam; quæ quamvis in se sint distincta, altera tamen alteram plerumque comitantur. Qui enim culturam facultatum animæ negligit, inhabilem se reddit, qui verum a falso & bonum a malo distinguat, unde vertigine quasi in vitia abripitur; & qui horum vel promiscue omnium, vel saltem quorundam famili-

familiarium cœno hæret, horret lucem cognitionis, ad quam illorum fœditatem ac noxam spectaret. Utrisque admodum favet error, qui dum ignorantia tenebras videtur dispellere, seductrices rerum notiones hominibus suggerit, ipsa ignorantia eo nocentior, quod cum ignoti nulla sit vel cupido vel aversatio, ille sit principium actionum humanarum satis efficax, præsertim si ei accesserint imaginationis blandimenta. Hisce autem malis imminuendis ac tollendis apprime inservit accurata de Deo O. M., de Religione atque nostris officiis cognitio; quam quum non singuli vel meditatione vel librorum lectione sibi acquirere possint, necesse est, ut viva accedat institutio, ad auditorum captum & statum accommodata, unde concionum Sacrarum utilitas satis eluceat. Si itaque temporum testem, Historiam, consulamus, hac edoceatur, conciones sacras in ipsa mundi infantia cœpisse, sequentibus temporibus non procul neglectas, in primis vero post redditâ Ecclesiæ Christianæ ex persecutionum tempestatibus halcyonia, nullum fere prætermissum fuisse diem Dominicum, quo sacræ non sint habitæ in templis conciones. Quum tamen communis sit ac diu fuerit querela, quod hisce concionibus optatus non semper responderit successus, cuius frustrati fructus culpam in suos auditores omnem multi transferre solent Oratores Sacri, causam interferentes, quod illi nec debitam sermonibus adhibeant attentionem, nec se ad meliorem vitæ frugem duci patientur ab eis, quorum officium est, illos in salutis viam deducere; haud præter rem nos facturos existimamus, si paucis, & in quantum facem nobis ratio & experientia præferant, in hanc rem inquiramus, proborum Ecclesiæ Ministrorum meritis, nostra prædicatione majoribus, nihil detracturi, sed nec in æquitatem ita peccaturi, ut omnis desiderati ex concionibus fructus culpa in auditorum rationes referatur.

§. I.

In caussas intenti quidem, sed per conciones sacras semper non obtenti fructus inquisituris, varia obveniunt momenta, a nobis consideranda, quorum alia in materia, alia autem in forma earum produnt nonnunquam vitium. Quod si omnes ac singuli, qui docendi munere in Ecclesia funguntur, accuratam Sacrarum Litterarum haberent notitiam, & proba insimul harum pollerent experientia, inepta foret communis, eademque non vulgaris, querela: quod pauci sint Theologi (a). Quisque autem rem istam serio perpendens, animadvertisit, querelam illam nec ex calumnia nec ex contumelia in ordinem, omnium existimatione dignissimum, provenire, sed gravitatem muneris Theologici in censem heic venire. In Sacro enim Praecone, qui dignitatem Theologirite tuebitur, felix ingenium, subactum judicium, tenax memoria, multiplex ac profunda eruditio, nec non proba experientia, praeter alia dona, in Sacro Codice commemorata, requiruntur. Nisi enim ingenio polleat, nec auditorum necessitatibus se opportune accommodabit, nec adversariorum retorquebit tela, nec errantes in rectam reducet viam, nec ex difficultatum labyrinthis, in quos forte incidere potest, se expediet. Non sufficit ea sibi perspecta reddere argumenta, quibus veritas Religionis Christianæ communiter propugnatur & confirmatur, sed horum momenta maturo expendet judicio, ne eorum vim ex Doctorum potius auctoritate, quæ saepe non convictiōnem, sed carbonariam tantum fidem producit, quam ex eorum nervis aestimet. Scripturam Sacram per se ipsam potissimum interpretabitur, gnarus, quod ex aliorum foliūmodo commentariis sapere, idem sit atque esurire, dum aliis placet, & nihil plane videre, dum alii cœciunt. Multa proinde opus est meditatione, qualem aliquan-

aliquantisper continuatam cujuslibet non fert indoles. Dotibus his circumspectionem ac robur addit experientia, quæ temporis ac cautæ cum hominibus conversationis filia, quemlibet in suam familiaritatem non admittens juvenem, docet, quomodo in nostris aliorumque ambiguis vitæ castibus nos geremus, probam Theoriarum applicationem commonstrans. Quum denique nulla fere sit Philosophiæ pars, ex qua in munere suo rite obeundo eximiam Sacer Orator capere non possit utilitatem, in hac eum plane hospitem esse non decet. Ex his in summam collectis intelligitur, cum quod singuli Concionatores spartam Theologi tueri nequeant, tum quod conciones horum, necessariis utpote adjumentis substitutorum, in praxi lubinde parum valeant.

(a) Vid. Alberti zum FELDE disquisitionem: de causis: cur pauci sint bodie Theologi?

§. II.

Multorum hominum, etiam eorum, qui eruditio-
nem profitentur, ea est ingenii indoles, ut parum se fe-
cisse opinentur, nisi ea explicare annitantur, quæ cæteri
comprehendere non possunt. Ex hoc auditorum suorum
admirationem aucupandi studio forte provenit, ut non-
nulli Sacri Præcones mysteria in suis explicare orationi-
bus operose satagant, alias ea docturi, quæ Summus Ma-
gister & cui ne unus quidem par, homines docere no-
luit. Quanto his modestius in suggestu se gesserunt Ve-
teres Ecclesiæ Antistites, qui quamvis solidam in pretio
haberent eruditionem, simplicitatem tamen Theologicam
studiose sequebantur, arduas quæstiones, quarum enoda-
tio sphæram ingenii humani transcendebat, non minus

quam acroceraunios scopulos in suis devitantes sermonibus, simulque statuentes, Sacra mysteria rectius admirationem, quam curiosam mereri investigationem. Cum itaque multi auditorum mysteria ista non adsequantur, nec eorum cum sua felicitate nexus perspiciant, parum aut nihil inde proficiunt, tales e templo egredientes, quales hoc fuerant ingressi. Absit tamen, ut certitudinem, necessitatem atque utilitatem cognitionis Sacrorum mysteriorum, in quibus sapientiam atque omnipotentiam Divinam admirari nobis datur, in dubium quis vocaret, sufficit autem illa eo, quo nobis revelata sunt, modo cognoscere, nec opus esse existimamus, ut Sacer Orator se committat cognitionis oceano, cui emetiendo sua perspicacia & industria minime sufficient. Quem, quæso, usum ex concionibus perciperent auditores, in quibus Verbi Divini Minister vel in dolem mysterii S. S. Trinitatis, vel modum, quo ex nihilo creatus fuit mundus, ut alia paria argumenta reticeam, explicare conaretur.

§. III.

Diu multumque fuit quæsitum: Quænam conciones, dogmaticæ ne, an vero morales pietati auditoribus in generandæ magis inservirent? Quæ quidem quæstio eo minus potest plene planeque resolvi, quod membra dividentia, uti loquuntur Logici, non sint opposita; vix enim ullæ sunt dogmaticæ sine aliqua morali applicatione, & morales multa continent dogmata, quorum veritatem ad revelationis lucem perspicimus. Sed nec dogmatum una eademque est ratio, nonnulla enim ad mysteria fidei pertinent, quibus fide credimus Divina, id est propter auctoritatem Dei, & fallere & falli nescii, qui eadem nobis revelavit, quamvis in dolem ac rationem eorum non adsequamur; alia autem sunt, in quibus proban-

bandis socias Revelatio & ratio jungunt operas. In illis copiosum dicendi genus magis lape offendit, quam ædificat auditores, gnaros, quam breviter eadem in Scriptura Sacra proponantur. Protecto quum ipse Salvator Christus, in quo, ex sinu Dei Patris egresso, omnes sapientiae Divinæ thesauri sunt reconditi, magna fidei mysteria in suis quidem nominet concionibus, eadem vero ad captum auditorum dextre explicare non studeat, noverat enim debilitatem mentis humanæ aciem, noverat malefanam hominum in secretiora penetrandi, missis utilioribus, curiositatem, noverat denique unicam non raro voculam æternarum litium materiam futuram; quanto magis Sacrum decet Oratorem, in nominatis dogmatibus tradendis Divinum hoc imitari exemplum, nec intempestivam jactare eruditionem. In concionibus itaque suis potius follicite explicet attributa Divina, ad nos relationem habentia, Dei bonitatem, clementiam, providam rerum creatarum imprimis hominum curam, justitiam, aliasque perfectiones, adeo ut motiva his convenienter suam in quibusvis vitæ vicissitudinibus componendi vitam sumant auditores; quo quidem modo hi cognitionem Dei sibi preciosam esse intelligunt: sentiunt etiam his moralibus dapibus suum non ad necessitatem tantum pasci, sed ad voluptatem quasi saginari animum, studiunque officia Deo, nobis metipsis & aliis rite præstandi non molestum, sed jucundum esse, seque ex templo in suam domum reportasse thesaurum, cum mundanis non permutandum divitiis. Enimvero in virtutum cognitione atque sensu auditoribus ingenerando Sacer caveat Orator, ne nimium ab his postulet, neve virtutis exempla a quibusvis aliena defectibus, & imbecillitate fortis humanæ longe superiora ab eis exigat, multo minus virtutum alumnos, ceu meros tractet hypocritas, poena haud minori in foro Divino dignos, quam qui vitiorum coeno se

no se turpiter volent. Aliter si faciat Orator, exiguum ex ejus concionibus, quibus probi offenduntur, mali autem in sua non raro confirmantur pravitate, auditores percipiunt fructum.

§. IV.

Si verus esset canon, quem pro indubia multi habent experientia, scilicet quod character cuiusvis Nationis sit immutabilis, ac proinde earundem mentis dispositio-
num indicia, quibus innotuisse maiores tradunt annales,
in eorum se prodant nepotibus; mirum non esset, si O-
ratores Sacri omni tempore in suis concionibus eundem
servarent tenorem & a paribus vitiis easdem adhiberent
dehortationes. Enimvero quum in vitæ nostræ indolem
multum influere educationem, instituta tam privata, quam
publica, imprimis exempla eorum, quos in eminentiori
honorum gradu constitutos suspicimus, certa doceat ex-
perientia, allata vero momenta multis sint obnoxia mu-
tationibus; fieri aliter non potest, quam ut hominum si-
ve in bonum, sive in malum propensiones diversis va-
rient seculis. Aptam igitur medicinam ægrotis audito-
rum animis Sacer allatus Orator, has probe obseruet
mutationes. Finem proinde concionibus intentum vix
obtinebit, si contra vitia minus grossantia acriter decla-
met; si ex. gr. mediis in halcyoniis exhorrescat persecu-
tionum tempestates vel Ecclesiæ vel Verbi Divini Mini-
stris imminentes, licet nullus tanti incendii fumus uspi-
am appareat, aut si auditoribus crescentem objiciat Re-
ligionis contemnum, dum plerique horum conciones sa-
cras, ex quibus desideratum capere possunt fructum, non
tantum non fastidiant, ut eisdem potius, tamquam am-
brosia, suum pascant animum, nec ægritudine nec aeris
tempestatumque injuriis a templis arcendi,

§. V.

Firmum quantumvis Sacri Oratoris fuerit propositum, sensum veræ Religionis auditoribus ingenerandi; parum tamen proficiet, nisi delectum argumentorum, quibus veritatem suarum propositionum in aprico ponet, instituere noverit. Quicunque enim in re magni momenti probationes vel infirmas vel incongruas adfert, eam non confirmat, sed dubiam reddit. Quis, quæso, ignorat, quod non pauca sint Scripturæ Sacræ dicta, in compendiis Theologicis pro classicis non raro habita, quæ tamen penitus expensa istam non tueantur dignitatem? Si talia itaque a dictis vere classicis non distinguat Sacer Orator, non aliorum impetrabit assensum, quam eorum, qui bona arripiunt fide quicquid eis proponatur, examinis cuiusdam instituendi vel incapaces vel minus curiosi; immemores præcepti Salvatoris: ἐρευνᾶτε τὰς γένετας, Scrutamini Scripturas. Vellem ego, ut Sacer Orator, dictum quoddam Scripturæ Sacræ in sententiæ suæ robur prolatus, auctoritatem eorum, qui in illud sunt commentati, paulisper seponeret, & secum probe expenderet, qualem ex eo conclusionem formaret homo, subacto utens judicio, sed orthodoxiæ adhuc ignarus; vellem quoque, ut non ex verbo quodam allati dicti necteret conclusionem, sed sententiam plene probantem ex Scriptura S:a afferret, ut auditoribus suis persvadeat sermo; quod primus esse solet ad emendationem vitæ gradus,

§. VI.

Nec prorsus erit reticendum, quod Conciones Sacræ, quantumvis egregie elaboratae, in praxi tamen Christianismi parum valeant, nisi spiritualis in eis etiam eluceat experientia. Sicut enim ægrotus fidem vix habet medico,

eo, quem in suo magis musæo, quam in nosocomio profecisse novit; ita animæ ægritudo curanda operam potissimum desiderat, ex connubio doctrinæ & experientiæ petitam. Si autem Sacer Orator suis exponere possit auditoribus animæ suæ in quolibet œconomia gratiæ stadio symptomata, & quantum naturæ viribus, quantum gratiæ in salutis negotio sic tribuendum; eo faciliorem Auditorum attentionem ac fidem invenit, quod eos in suæ possessionis communionem invitet, ex quo domestico benevolentiae ejus thesauro, in sinum eorum effuso, hi non possunt non capere fructus, in semita salutis continuanda vel inchoanda sibi profuturos. Loquitur experientia, conciones illius de Deo, hujus attributis & operationibus, qui non ultra libros sapit, communiter haberi frigidas & exsangues, dum alius contra, in quo sine ulla affectationis specie promicat gratissimus ille & Dei & hujus gratiæ sibi præstite sensus, quo ejus lactatur pectus, non bonos tantum, sed malos quoque non-nunquam in fruitionem ambrosiæ propositæ pertrahit.

§. VII.

Finem porro per conciones sacras intentum nequam quam obtinebit Orator, si eum a se ipso dissentire non raro animadvertant auditores, præsertim si aliter doceat, aliter vero vivat. Plerique enim horum non tam præceptis, quantumvis nervosis, quam potius exemplis vita morumque eorum, quos, ut sibi in stadio salutis prælucceant, vocatos esse norunt, moventur; optimum censentes ducem, non qui multa loquatur, sed qui recta agat. Profecto Orator, cuius pietas, integritas, in quibusvis vitæ vicissitudinibns constantia, intenum de singulis bene merendi studium, aliarumque virtutum exercitium, nemini aut dubium aut hamatum obyenit, tantum concio-

concessionibus suis addit momentum, quantum ab ingenio,
 doctrina & facundia frustra omnino exspectatur. Contra ea
 si auditores animadvertant, Verbi Divini Præconem do-
 mesticis quibusdam, gravibus vel levibus, indulgere vitiis,
 excusabiles se futuros, opinantur, si minus, quam ipse,
 officia sibi injuncta observent, præsertim si lucrum aut
 commodum male agendo se impetraturos sperent. Sic
 ut enim mira est ingenii humani levitas; ita sibi persuas-
 dent multi, non omne, quod prohibetur, esse usque-
 quaque malum, sed aliquid boni, cuius fruitio sibi in-
 videtur, continere; id quod eo libentius ac firmius cre-
 dunt, si videant, Oratorem ea sibi haud simulate permit-
 tere, quæ ut Deo ingrata & noxia suis proposuit audi-
 toribus. Quocirca si quis forte cogitet, Oratoris Sacri
 provinciam, in se omnino gravem atque difficilem, me-
 moratæ disciplinæ rigore & continuo sanctitatis studio
 gravissimam reddi atque difficillimam, is primum perpen-
 dat, cuius mandatarius sit Orator, & quod mandatario
 euilibet incumbat, characterem mandantis non verbis
 tantum, sed magis factis, quantum sua permittat condi-
 tio, exprimere, deinde quod virtutum cultura, postquam
 in habitum abiit, adferat delicias & commoda, fugaci-
 bus malorum voluptatibus longe superiora. Nonne fors
 aulici est multo durior, qui ut desideratum obtineat ho-
 noris gradum, multas devorare molestias, multa indigna
 præter meritum pati, ad Principis non mandata solum,
 sed quosvis etiam nutus ita se totum componere debet,
 ut quod ipse velit strictissime exsequatur? Nonne condi-
 tio militis, inter malorum agmina vitam pro levi stipen-
 dio trahentis, nec periculorum magnitudinem aut immi-
 nentem mortis ictum curatur, est longe deterior? Cul-
 pa itaque non vacat Sacer Orator, nisi suam doctrinam
 & argumentis & exemplis auditoribus probet suis, alio-
 quin una destructurus manu, quod extruxit altera.

§, VIII.

Primum ad emendationem vitæ gradum esse feriant peccatorum & horum magnitudinis agnitionem, vel sana nos docet ratio, quæ insimul dictitat, magnitudinem peccati cum ex aliis circumstantiarum momentis, tum ex dignitate personæ laicæ esse æstimandam, adeoque peccatum in Deum, Ens vere infinitum, commissum esse gravissimum & rigidissimas promererī poenas. Hæc perpendens peccator, invenit animum suum præ dolore ante actæ viræ quasi conteri; minus tamen prudenter facit Sacer Orator, si, ut contritionem reddat majorem, Deum suis proponat auditoribus, in vindictam & poenas, quam in misericordiam, priorem, ea studiose crepans dicta, quæ magnum quidem dolorem excitare, sed majorem adhuc horrorem, quin & stuporem inducere valent. Tristia memorantur rigidæ hujus emendandi rationis exempla; nonnullis auditorum, quibus tenera esset corporum constitutio, valetudinis jacturam facientibus, aliis vero in desperationem convertsis, ex malis, quales antea fuerant, pessimis factis. Quum Deus O. M. operibus suis singulis eximium bonitatis characterem ita impresserit, ut in malis etiam physicis documenta bonitatis ejus observiant; quare Eundem, ceu immitem ac trucem, miseria deplorati hominum status ac supplicibus precibus flecti nescium, nobis repræsentaremus? Aut quo animo, coram eo, qua tali, procumberemus, veniam peccatorum impletatur? Sciat itaque homo, Deum esse justissimum iudicem & gravissimum in protertos gratiæ ac beneficiorum suorum contemtores vindicem, juxta tamen non obliviscatur, eum esse misericordem, de una etiam ove in rectam viam reduce lætantem. Hoc in suis sermonibus temperamento usus est CHRISTUS, qui Deum suis proponit auditoribus, ut hominum amantisimum, qui pro pecca-

peccatis eorum filium infinitis cruciatibus ac truculentæ morti subjicere non recusaverit, qui nihil non mortaliū cauſa velit, qui præmia & pœnas æqua distribuat lance, ut sic amoris ac reverentiæ faculas in eorum excitatet animis. Qui enim Deum amat, & quis, niſi peccatus pumice durius gerat, tantum Benefactorem, a ſe cognitum, non amaret? Ejus mandatis libenter obsequitur, & proinde peccatum, ut malum, quovis alio malo gravius, effugere ſtudet. Simpliciter dicam: vinculum amoris, quo homines Deo adſtriguntur, facit, ut non lint, terriculamentorum exquisitissimorum genera, ut non audeant, Deum offendere.

§. IX.

Experientia ejam haud simplici edocemur, quod quo quis animo aliis loquatur, eodem quoque ejus sermo a plerisque excipiatur, & quod ex imo illius egreditur pectore, in horum ſe demittat corda. Hoc ſi ferio perpendent Oratores, non mirarentur aut indignarentur, quod rariores paſſim cernerent concionum ſuarum fructus. Heic in centum veniunt Oratores extempora- nei, qui ſine ulla fere meditatione ex copioſi ingenii pharetra, quamcunque velint, depromunt concionem, & suas utcunq; tuentur partes, præſertim ſi imaginatione ac tenaci valeant memoria; quibus animi prærogativis deſtituti, magis de eo ſunt tollicti, ut die Dominico coram congregato populo aliquid, quam quid, aut quomo- do loquantur. Falluntur autem, ſi credant, auditores hoc non curare; pauci enim horum adeo ſunt hebetes, ut non percipient, an Praeco meditatum quid ſuisque conveniens uſibus adferat, vel ideo loquatur, ut ope- rariam fallat horam. Hi in defectu peccant; nec minus in oratore eſt vitium exceſlus diligentia, ſi argumentum,

quod sibi sumsit pertractandum, ad tenorem exactissimæ methodi systematicæ exasciet, & longissimam rationum concatenatarum adferat seriem. Qui cogitandi modus quum paucis familiaris sit auditortibus, domum e templo redeunt, doctrinæ Sacerdotis admiratione pleni quidem, suo autem non accommodatae captui. Sicuti neutra concionandi methodus in emolumenatum auditorum proprie est directa, cordato mirum obveniet nemini, si tales in praxi pietatis minus valeant conciones.

§. X.

Oratori autem Sacro non sufficit, idonea propositionis suæ invenisse argumenta, inventaque apte dispositisse, sed de stilo quoque erit sollicitus, per hunc ad benevolam auditorum attentionem sibi paraturus aditum. Quod si enim stilos fuerit nimis gravis, si loco, temporि, aut materiae dignitati non conveniat, parum abest, quin suas auditores occludant aures, saltem oscitantiam sibi permittunt, a sacro longissime arcendam loco. Contra ea si ornamentiis Oratoriis nimium indulgeat Præco, atque calamistratum & ex mellitis verborum globulis contextum affectet sermonem, ingeniosæ hæ dapes, sicut nullius sunt consistentiæ, ita parum juvabunt auditores, meliora ex Scripturæ Sacræ lectione eductos. Valet enim heic, sed suo modo, quod olim observavit SENECA: in magna corporis cura magnam apparere animæ incuriam. Certe concinna orationis simplicitas ad frugiferum satis commendari nequit usum, quæ in ἀποδέιξει πνεύματος και δυνάμεως se prodit, & plus gravitatis ac sanctimoniarœ, quam artis & elegantiarœ olet.

§. XI.

§. XI.

Immo ne quid in præsenti dissimulem argumento,
 ipsa concionum sacrarum prolixitas sæpe in detrimentum magis auditorum, quam eorum vergit utilitatem. Ea enim est rerum humanarum indoles, ut ne optimum quidem ultra mediocritatis terminos sit extendendum, alioquin & animæ & corpori nociturum. Nec multis est datum, attentionem alicui rei per longius adhibere tempus; sed, sicut idem corporis situs, si diu duret, evadit molestus, ita quoque hebescit attentio & animus confunditur sermone, quantumvis egregio, sed ultra modum protracto. Aliam concionandi methodum nos docuit Salvator CHRISTUS, reprehendens etiam Pharisæos ob prolixas eorum precationes. Ad exemplum itaque Salvatoris coram concione multum, non multa, Sacer loquatur Orator; illud enim est σπέρμα τὸ καλὸν, quod multum fert fructum, hæc autem, urpote justo leviora, ad frugem revocari nequeunt; quem imitati sunt præstantissimi Theologi, quibus de eo sollicitis ne quid præter rem adferrent, clepsydram, ipsis ad concionem habendam concessam, abunde suffecisse nouimus. Sed contraho vela, ne in me forte quadret epigramma Joh. OWENI in *oratorem infinitum* scriptum:

*Omnia cum dixti, superest tibi dicere dixi,
 Hæc mibi sermonis vox placet una tui.*

